



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] operetur propter proprium bonum? 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

facilius quàm aggredi, triplici ratione. Primo quidē, quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiori inuadente. Qui autem aggreditur, inuadit per modū fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Secundò, quia ille qui sustinet, iam sentit pericula imminencia: ille autem qui aggreditur, habeat ea vt futura. Difficilius autem est non moueri à præsentibus, quàm à futuris. Tertio, quia sustinere importat diurnitatem temporis; sed aggredi potest aliquis ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilem, quàm subito motu moueri ad aliud quod arduum. Vnde Philosophus dicit * In tercio Ethicorum, quòd quidam sunt præuolantes ante pericula: in ipsis autem discedunt. Fortes autem è contrario se habent.

c. 8. to. 5.

Ad secundum dicendum, quòd sustinere importat quidem passionem corporis, sed actum animæ fortissime inhaerentis bono. Ex quo sequitur quòd non cedat passioni corporali iam imminenti. Virtus autem magis attenditur circa animam, quàm circa corpus.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui sustinet, non timet præsentem iam causa timoris, quam non habet præsentem ille qui aggreditur.

ARTIC. VII.

Vtrum fortis operetur propter bonum proprii habitus?

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd fortis non operetur propter bonum proprii habitus. Finis enim in rebus agendis, etsi sit prior in intentione, est tamen posterior in executione. Sed actus fortitudinis in executione est posterior, quàm ipse fortitudinis habitus. Non ergo potest esse quòd fortis agat propter bonum proprii habitus.

623

¶ 2 Præterea, August. dicit 13. * de Trinit. Virtutes quas propter solam beatitudinem amamus, sic persuadere quidam nobis audent, scilicet (dicendo eas propter se appetendas) vt ipsam beatitudinem nõ amemus. Quòd si faciunt, etiam ipsas vtique amare desi-

c. 8. à me. to. 3.

desistimus: quando illam propter quam solam istas amamus, non amamus. Sed fortitudo est quædam virtus. Ergo actus fortitudinis non est ad ipsam fortitudinem, sed ad beatitudinem referendus.

2. 15. cir.
ca fin. to-
mo 1.

¶ 3 Præterea, August. * dicit in libro de moribus Ecclesiæ, quod fortitudo est amor omnia propter Deum facile perferens. Deus autem non est ipse habitus fortitudinis, sed aliquid melius: sicut oportet finem meliorem esse his quæ sunt ad finem. Non ergo fortis agit propter bonum proprii habitus.

2. 7. ante
med. to. 5

SED contra est, quod Philosophus * dicit in 3. Ethicorum, quod forti fortitudo est bonum. Talis autem est finis.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est finis, scilicet proximus, & ultimus. Finis autem proximus vniuscuiusque agentis est, ut similitudinem suæ formæ in alterum inducat: sicut finis ignis calefacientis est, ut inducat similitudinem sui caloris in patiente. Et finis ædificatoris est, ut inducat similitudinem suæ artis in materia. Quodcumque autem bonum ex hoc sequitur, si sit intentum, potest dici finis remotus agentis. Sicut autem in fabricabilibus materia exterior disponitur per artem: ita etiam in agibilibus, per prudentiam disponuntur actus humani. Sic ergo dicendum est, quod fortis sic proximum finem intendit, ut similitudinem sui habitus exprimat in actu; intendit enim agere secundum convenientiam sui habitus. Finis autem remotus est beatitudo, vel Deus.

in corpo-
re ars.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam prima ratio procedebat, ac si ipsa essentia habitus esset finis, non autem similitudo eius in actu, ut dictum* est. Alia verò duo procedunt de fine ultimo.

ARTIC. VIII.

Utrum fortis delectetur in suo actu?

614

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod fortis delectetur in suo actu. Delectatio enim est operatio connaturalis habitus non impedita, ut dicitur in de-